



PONTIFICALE ROMANUM
EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO DEDICATIONIS
ECCLESIAE ET ALTARIS

EDITIO TYPICA



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

CAPUT IV

ORDO DEDICATIONIS ALTARIS

PRÆNOTANDA

I. DE ALTARIS NATURA ET DIGNITATE

1. Antiqui Ecclesiæ Patres, Dei verbum meditati, affirmare non dubitaverunt Christum victimam, sacerdotem, altare sui ipsius exstis-
sisse sacrificii.¹

In Epistula enim ad Hebræos, Christus exhibetur Pontifex magnus idemque Altare vivum Templi cælestis;² in Apocalypsi autem Redemptor noster tamquam Agnus occisus apparet,³ cuius oblatio per manus sancti Angeli in sublime altare perfertur.⁴

CHRISTIANUS ET IPSE ALTARE SPIRITALE

2. — Cum Christus, Caput et Magister, verum sit altare, membra quoque eius ac discipuli altaria sunt spiritalia, in quibus sacrificium vitæ sancte peractæ Deo offertur. Quod ipsi Patres significare videntur: S. Ignatius Antiochenus cum præclare Romanos rogat: « Nolite plus mihi præbere, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum est »,⁵ vel S. Polycarpus cum viduas admonet ut sancte vivant, quæ « altare Dei sunt ». ⁶ Quibus vocibus cum aliorum tum S. Gregorii Magni vox respondet docentis: « Quid est altare Dei, nisi mens bene viventium? ... Recte igitur [iustorum] cor altare Dei dicitur ».⁷

Vel secundum aliam imaginem apud Ecclesiæ scriptores celebratam, christifideles qui orationibus vacant, obsecrationes offerunt Deo et supplicationum victimas immolant, ipsi sunt lapides vivi ex quibus Dominus Iesus Ecclesiæ altare ædificat.⁸

¹ Cf. S. EPIPHANIUS, *Panarium II, I, Hæresis* 55: PG 41, 979; S. CYRILLUS ALEXAN-
DRINUS, *De adoratione in spiritu et veritate*, IX: PG 68, 647.

² Cf. Hebr 4, 14; 13, 10.

³ Cf. Ap 5, 6.

⁴ Cf. Missale Romanum, *Ordo Missæ*, n. 96.

⁵ *Ad Romanos* 2, 2: ed. F. X. FUNK, p. 255.

⁶ *Ad Philippenses* 4, 3: ed. F. X. FUNK, p. 301.

⁷ *Homiliarum in Ezechielem* II, 10, 19: PL 76, 1069.

⁸ Cf. ORIGENES, *In librum Iesu Nave*, Homilia IX, 1: SC 71, pp. 244 et 246.

ALTARE MENSA SACRIFICII ET CONVIVII PASCHALIS

3. Christus Dominus memoriale sacrificii, quod in ara crucis Pa-
tri erat oblaturus, sub specie sacrificialis convivii instituens, men-
sam, ad quam fideles convenirent ut Pascha suum celebrarent, sacram
effecit. Altare itaque est mensa sacrificii et convivii, in qua sacer-
dos, Christum Dominum repræsentans, idem perficit quod ipse Do-
minus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit, quæ
omnia Apostolus præclare innuit, dicens: « Calix benedictionis, cui
benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis,
quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam
unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane par-
ticipamus ».⁹

ALTARE CHRISTI SIGNUM

4. Ubique, pro rerum adiunctis, Ecclesiæ filii memoriale Christi
celebrare et ad mensam dominicam consistere possunt. At consen-
taneum mysterio eucharistico est ut christifideles ad Cenam domini-
cam celebrandam altare erigant stabile: quod iam inde ab antiquis
temporibus factum est.

Altare christianum sua ipsius natura est peculiaris mensa sacrificii
et paschalis convivii:

— ara peculiaris, ubi sacrificium crucis in sæcula, donec Christus
veniat, in mysterio perpetuatur;

— mensa ad quam Ecclesiæ filii congregantur, ut gratias Deo agant
et Corpus et Sanguinem Christi sumant.

In omnibus igitur ecclesiis altare est « centrum gratiarum actionis,
quæ per Eucharistiam perficitur »¹⁰ circa quod ceteri Ecclesiæ ritus
quodammodo ordinantur.¹¹

Ex eo quod apud altare memoriale Domini celebratur eiusque Cor-
pus et Sanguis fidelibus præbetur, factum est ut Ecclesiæ scriptores
in altari veluti signum ipsius Christi cernerent — unde illud invaluit:
« Altare Christus est ».

⁹ Cf. 1 Cor 10, 16-17.

¹⁰ Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 259.

¹¹ Cf. PRUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei et hominum*: A.A.S. 39 (1947) p. 529.

ALTARE HONOR MARTYRUM

5. Dignitas altaris tota in hoc posita est quod altare est mensa Domini. Non igitur Martyrum corpora altare honorant, sed potius altare Martyrum sepulcrum honestat. Ad honoranda enim Martyrum aliorumque Sanctorum corpora necnon ad significandum sacrificium membrorum de Capitis sacrificio sumpsisse principium,¹² decet super eorum sepulcris altaria ædificari aut sub altaribus condi eorum reliquias, ita ut « succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est. Isti sub altari, qui illius redempti sunt passione ».¹³ Quæ rerum dispositio quodammodo repetere videtur illam spiritalem visionem Ioannis Apostoli in Apocalypsi: « Vidi subtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant ».¹⁴ Quamquam enim omnes Sancti recte appellantur testes Christi, tamen sanguinis testimonio peculiaris vis inest, quam Martyrum tantum reliquiæ sub altari depositæ totam atque integram exprimunt.

II. DE ALTARI ERIGENDO

6. Expediit in omni ecclesia altare fixum inesse; ceteris vero locis sacris celebrationibus dicatis, altare fixum vel mobile.

Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.¹⁵

7. In novis ecclesiis præstat unum tantum altare erigi, ut in uno fidelium cœtu unicum altare unum Salvatorem nostrum Iesum Christum significet unamque Ecclesiæ Eucharistiam.

In sacello tamen, ab aula ecclesiæ si fieri potest quodammodo seiuncto, ubi tabernaculum ad Ss.mum Sacramentum asservandum est collocatum, alterum altare erigi poterit, ubi etiam Missa celebrari potest diebus ferialibus pro parvo fidelium cœtu.

Omnino vero vitandum est ne plura erigantur altaria ecclesiæ tantum exornandæ causa.

8. Altare exstruatur a pariete seiunctum, ut sacerdos facile id circumire et Missam versus populum celebrare possit. « Eum autem

¹² Cf. Missale Romanum, *Commune Martyrum* 8, Super oblata.

¹³ S. AMBROSIIUS, *Epistula* 22, 13: PL 16, 1023; cf. Ps. MAXIMUS TAURINENSIS, *Sermo*, 78: PL 57, 689-690.

¹⁴ Ap 6, 9.

¹⁵ Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 265, 261.

occupet locum ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur ».¹⁶

9. Iuxta traditum Ecclesiæ morem et symbolum biblicum quod altari inest, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiarum Episcopaliū, ad exstruendum altare adhiberi potest.

Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.¹⁷

10. Sua ipsius natura altare uni Deo dicatur, nam sacrificium eucharisticum uni Deo offertur. Hoc sensu intellegi debet consuetudo Ecclesiæ dicandi altaria Deo in honorem Sanctorum. Quod S. Augustinus apte exprimit: « nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituimus altaria ».¹⁸

Hoc clare fidelibus explicari debet. In novis ecclesiis simulacra vel imagines Sanctorum supra altare ne collocentur.

Item ne deponantur super altaris mensam Sanctorum reliquiæ cum ad populi venerationem exhibentur.

11. Liturgiæ Romanæ traditio Martyrum aliorumve Sanctorum reliquias sub altari condendi opportune servabitur.¹⁹ Hæc tamen notentur:

a) Reliquiæ deponendæ eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguæ condantur reliquiæ unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur utrum reliquiæ deponendæ authenticæ sint. Præstat altare sine reliquiis dedicari quam dubiæ fidei reliquias sub eo deponi.

c) Reliquiarum capsula neque super altare neque in altaris mensa est collocanda sed, attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda.

Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigiliis ad reliquias Martyris vel Sancti celebrari, iuxta ea quæ supra cap. II, n. 10 indicantur.

¹⁶ *Ibid.*, n. 262.

¹⁷ Cf. *ibid.*, n. 263.

¹⁸ *Contra Faustum*, XX, 21: PL 42, 384.

¹⁹ Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 266.

III. DE DEDICATIONIS CELEBRATIONE

De ritus ministro

12. Ad Episcopum, cui Ecclesiæ particularis cura commissa est, nova altaria in sua diœcesi erecta spectat Deo dicare; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo, præsertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus novum altare est erectum; in adiunctis omnino peculiaribus presbytero, cui speciale dabit mandatum.

De die eligendo

13. Cum vero altare fiat sacrum in primis Eucharistiæ celebratione, ad rerum veritatem servandam caveatur ne in novo altari Missa celebretur antequam ipsum dedicetur, ita ut Missa dedicationis sit quoque prima Eucharistia quæ super ipsum altare peragitur.

14. Ad novum altare dedicandum, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant. Ritus dedicationis altaris celebrari tamen nequit in Triduo paschali, in Feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadæ sanctæ, et in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

De Missa dedicationis

15. Eucharistiæ celebratio ritui dedicationis altaris intime inhæret. Dicitur Missa « In dedicatione altaris ». In Nativitate Domini autem, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes necnon in Dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sumitur Missa diei, præter orationem super oblata et præfationem, quæ ipsi ritui intime nectuntur.

16. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris adstantibus maximeque cum illis quibus traditum est munus regendæ parœciæ vel communitatis pro qua altare est erectum.

De ritus partibus

A. De ritibus initialibus

17. Ritus initiales Missæ dedicationis altaris fiunt more consueto præterquam quod, loco actus pænitentialis, Episcopus aquam benedicit eaque aspergit populum et novum altare.

B. De liturgia verbi

18. In liturgia verbi tres lectiones laudabiliter dicuntur selectæ, ad normam rubricarum, vel e liturgia diei (cf. supra n. 15) vel ex iis quæ pro ritu dedicationis altaris in Lectionario (III, 235-244) proponuntur.

19. Post lectiones Episcopus homiliam habet, in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum dedicationis altaris.

Expleta homilia dicitur Symbolum. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Sanctorum Litaniam canantur.

C. De Prece dedicationis et de altaris unctione

De reliquiarum Sanctorum depositione

20. Post Litaniarum cantum, si casus fert, reliquiæ Martyrum aliorumve Sanctorum sub altari deponuntur, ut significetur omnes qui in morte Christi sunt baptizati, sed in primis illos qui sanguinem pro Domino fuderunt, passionem Christi participare (cf. supra n. 5).

De Prece dedicationis

21. Celebratio Eucharistiæ maximus est ritus isque unus necessarius ad altare dedicandum; attamen, secundum communem traditionem Ecclesiæ, cum Orientis tum Occidentis, dicitur etiam peculiaris Prex dedicationis, qua propositum significatur altare in perpetuum Domino dicandi eiusque benedictio exposcitur.

De ritibus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis

22. Ritus unctionis, incensationis, velationis, illuminationis altaris visibilibus signis nonnulla exprimunt illius invisibilis operis, quod Dominus per Ecclesiam divina mysteria, præsertim Eucharistiam, celebrantem perficit.

a) *Unctio* altaris: Chrismatis unctione altare fit symbolum Christi, qui præ omnibus « Unctus » est et vocatur; nam Pater Spiritu Sancto unxit eum summumque constituit Sacerdotem, qui in altari Corporis sui vitæ sacrificium pro omnium salute offerret.

b) *Incensum* super altare comburitur ut significetur sacrificium Christi, quod ibi in mysterio perpetuatur, ad Deum ascendere in odorem suavitatis, sed et ut exprimatür fidelium orationes placabiles gratasque usque ad thronum Dei pervenire.²⁰

c) *Velatio* altaris indicat altare christianum sacrificii eucharistici aram et Domini mensam esse, quam circum stantes sacerdotes et fideles, una eademque actione, diverso autem munere, Memoriale mortis et resurrectionis Christi celebrant et dominicam Cenam manducant. Ideo altare ut convivii sacrificialis mensa paratur ac festive exornatur. Quod clare significat illud esse mensam Domini, ad quam omnes fideles lætantes conveniunt ut divino cibo, Corpore nempe et Sanguine Christi immolati, reficiantur.

d) *Illuminatio* altaris admonet Christum esse « Lumen ad revelationem gentium », ²¹ cuius claritate resplendet Ecclesia et per eam cuncta hominum familia.

D. De Eucharistiæ celebratione

23. Altari parato, Episcopus Eucharistiam celebrat, quæ totius ritus est pars præcipua necnon antiquissima.²² Eucharistiæ enim celebratio aptissime cohæret ritui dedicationis altaris:

— celebratione sacrificii eucharistici finis ad quem altare est extructum attingitur et præclare manifestatur;

— præterea Eucharistia, quæ sumentium corda sanctificat, altare quodammodo consecrat, ut antiqui Ecclesiæ Patres haud semel affirmarunt: « Hoc altare admirandum est, quia natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi Corpus excipit », ²³

— nexus denique quo dedicatio altaris cum Eucharistiæ celebratione arcte coniungitur, ex hoc quoque patet quod Missa dedicationis præfatione propria ditatur, quæ ritui intime inhæret.

²⁰ Cf. Ap 8, 3-4: Angelus « venit et stetit ante Altare habens turibulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret orationibus sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo ».

²¹ Lc 2, 32.

²² Cf. VIGILIUS PP. *Epistula ad Profuturum episcopum*, IV: PL 84, 832.

²³ S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. XX in II Cor.*, 3: PG 61, 540.

IV. DE RITU APTANDO

De aptationibus quæ Conferentiis Episcopalibus competunt

24. Conferentiæ Episcopales hunc Ordinem uniuscuiusque regionis moribus præ opportunitate aptare possunt, ita tamen ut nihil adimatur eius nobilitati ac sollemnitati.

Hæc vero servantur:

a) celebratio Missæ cum præfatione propria et Prex dedicationis nunquam omittendæ sunt;

b) ritus, quibus ex traditione liturgica peculiaris sensus atque vis inest (cf. supra n. 22), nisi graves obstant rationes, servantur, formulis, si casus fert, convenienter aptatis.

In aptationibus autem peragendis, competens auctoritas ecclesiastica Sedem Apostolicam consulat atque de eius consensu aptationes inducat.²⁴

De accommodationibus quæ ministris competunt

25. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi statuere spectat; qua in re, iis quæ supra n. 11 dicta sunt servatis, bonum spiritale fidelium et rectus liturgiæ sensus præ omnibus respicienda sunt.

Ad rectorem autem ecclesiæ in qua altare dedicatur, adiuvantibus cooperantibus in actione pastorali, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.

V. DE PRÆPARATIONE PASTORALI

26. Fideles non solum tempestive certiores fiant de novi altaris dedicatione, sed etiam opportune præparentur ut actuose ritui intersint. Ideo, quid singuli ritus significant et quomodo peragantur erudiantur oportet. Ad quam impertiendam catechesim usui esse possunt quæ supra dicta sunt de altaris natura ac dignitate et de rituum sensu ac vi. Ita fideles recto ac debito erga altare imbuentur amore.

²⁴ Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 40: A.A.S. 56 (1964) p. 111.

VI. DE REBUS PARANDIS PRO ALTARIS DEDICATIONE

27. Ad ritum dedicationis altaris celebrandum, hæc parentur:

- Missale Romanum, Lectionarium, Pontificale Romanum;
- crux et liber Evangeliorum in processione ferenda;
- vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;
- vas sancti chrismatis;
- mantilia ad extergendam mensam altaris;
- si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;
- pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi;
- gremiale linteum;
- foculus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelæ subtiles super altare comburenda;
- turibulum cum navicula incensi et cochleari;
- calix, corporale, purificatoria, manutergium;
- panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;
- crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quæ in processione introitus defertur prope altare collocetur;
- tobalea, cerei, candelabra;
- pro opportunitate, flores.

28. In Missa dedicationis altaris, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

- pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis, pallium si eo fruitur;
- pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
- pro diaconis: albæ, stolæ, et, pro opportunitate, dalmaticæ;
- pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

29. Si reliquiæ Sanctorum sub altari condendæ sunt, hæc parentur:

a) *In loco ex quo incipit processio:*

- capsula cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Pro opportunitate autem capsula apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;
- pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris

casibus, et, si præsto sunt, dalmaticæ. Si vero reliquiæ a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis planetæ præparentur.

Reliquiæ tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio:*

— parva mensa in qua deponitur capsula reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario:*

— maltha seu arenatum quo cavæ operculum claudatur; adsit quoque faber cæmentarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.

30. Convenienter servabitur mos includendi in capsula reliquiarum pergamenam in qua facta sit mentio diei, mensis, anni dedicationis altaris, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiæ necnon nominum Martyrum vel Sanctorum quorum reliquiæ sub altari condendæ sunt.

Conficiantur autem acta dedicationis in duplici exemplari, quorum alterum in dioceseos, alterum in ecclesiæ tabulario servetur, Episcopo, ecclesiæ rectori legatisque communitatis localis subsignanda.

ORDO DEDICATIONIS

PARS PRIMA

RITUS INITIALES

Ingressus in ecclesiam

31. Populo congregato, Episcopus et presbyteri concelebantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

32. Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus ad presbyterium afferuntur sive e secretario sive e sacello, ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa parari possunt ante ritus initium, apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.

33. Incedente processione canitur antiphona ad introitum (cf. App. n. 27):

Protector noster, aspice, Deus,
et respice in faciem Christi tui;
quia melior est dies una in atriis tuis super milia (T. P. Allelúia)

vel antiphona (cf. App. n. 28):

Introibo ad altare Dei,
ad Deum qui lætificat iuventutem meam
cum Psalmo 42, vel alius aptus cantus.

Psalms 42

- ¹ Iúdica me, Deus, †
et discerne causam meam de gente non sancta; *
ab hómine iniquo et doloso erue me.
- ² Quia tu es Deus refúgii mei; †
quare me reppulisti, *
et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?
(Repetitur antiphona)

³ Emitte lucem tuam et veritatem tuam; *
ipsa me deducant et adducant
in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

⁴ Et introibo ad altare Dei, †
ad Deum lætitiæ exsultationis meæ. *
Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.
(Repetitur antiphona)

⁵ Quare tristis es, ánima mea, *
et quare conturbaris in me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, *
salutare vultus mei et Deus meus.
(Repetitur antiphona)

34. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus; presbyteri concelebantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergunt. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutatur, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclesia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spiritu tuo

vel alia apta verba.

Benedictio aquæ et aspersio

35. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pœnitentiæ et in memoriam baptismi atque ad altare abluendum. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Exsultantes, fratres dilectissimi,
 huc convenimus ad novum altare
 sacrificii dominici celebratione dicandum.
 His sacris ritibus intentis adsumus animis
 et, verbum Dei audientes cum fide
 ac mensam Domini cum gaudio participantes,
 in sanctam spem corda erigamus.
 Ad unum nos altare congregantes,
 ad Christum accedimus, lapidem vivum,
 in quo crescimus in templum sanctum.
 Sed in primis Deum supplices exoremus
 ut benedicere dignetur hanc creaturam aquae,
 qua nos aspergemur
 in penitentiae signum atque in baptismi memoriam
 et novum abluetur altare.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus dicit:

Deus, per quem omnis creatura ad vitae prodit lumen,
 tanta homines prosequeris dilectione
 ut eos non solum paterna alas cura,
 sed caritatis rore a peccatis clementer emundes
 et ad Christum Caput constanter reduces:
 misericordiam enim consilio statuisti
 ut qui in sacram descendissent undam peccatores,
 Christo commortui, insontes resurgerent
 eiusque membra fierent
 atque aeterni praemii coheredes.
 Hanc ergo creaturam aquae tua benedictione ✠ sanctifica,
 ut, in nos novumque altare aspersa,
 signum existat illius salutaris lavacri,
 quo, in Christo abluti, spiritualis ara sumus effecti;
 nos autem cum omnibus fratribus,
 qui ad hoc altare divina celebrabunt mysteria,

ad caelestem Ierusalem pervenire concedas.
 Per Christum Dominum nostrum.

Omnes:

Amen.

36. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum aspergit, per aulam ecclesiae transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare. Interea cantatur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egredientem de templo,
 a latere dextro, alleluia;
 et omnes, ad quos pervenit aqua ista,
 salvi facti sunt, et dicent:
 Alleluia, alleluia

aut, tempore Quadragesimae, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificatus fuero in vobis,
 congregabo vos de universis terris,
 et effundam super vos aquam mundam,
 et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;
 et dabo vobis spiritum novum

vel alius aptus cantus.

37. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiarum Pater,
 cui hoc novum altare dicamus in terris,
 et remissionem nobis tribuat peccatorum
 et in sublimi altari suo
 hostiam laudis in aeternum immolare concedat.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

38. Deinde dicitur hymnus Glória in excelsis Deo, nisi occurrat dominica Adventus aut Quadragesimæ.

39. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit:

Deus, qui ad Filium tuum in ara crucis exaltatum
omnia adtrahere voluisti,
cælesti grátia perfúnde
fidéles tuos hanc tibi dicántes altáris mensam,
ad quam in unum congregátos,
eos próvide nútries,
Spirítuque effúso,
in dies constítues plebem tibi sacrátam.
Per Dóminum.

Omnes:

Amen.

PARS SECUNDA

LITURGIA VERBI

40. In liturgia verbi omnia fiunt more solito. Lectiones et Evangelium sumuntur, iuxta rubricas, vel e textibus qui in Lectionario (III, 235-244) pro ritu dedicationis altaris proponuntur, vel e Missa diei.

41. Lecto Evangelio, Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

42. Symbolum semper dicitur. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco Litaníæ Sanctorum canantur.

PARS TERTIA

PREX DEDICATIONIS ET UNCTIONES

Supplicatio litanica

43. Deinde Episcopus populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Ascéndant, fratres dilectíssimi,
preces nostræ ad Deum Patrem omnipoténtem,
per Iesum Christum,
cui omnes Sancti sociántur,
eius passiónis consórtes
eiusque mensæ convívæ.

44. Tunc canuntur Litaníæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod, diebus dominicis necnon tempore paschali, fit omnibus stantibus; ceteris autem diebus, flexis genibus; quo in casu diaconus admonet:

Flectámus génua.

45. In Litaníis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant. Sanctorum cognomina inter parentheses posita, opportune omittuntur, quando Litaníæ cantantur (cf. App. n. 10).

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Christe, eléison.

Christe, eléison.

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,

Sancte Michael,

Sancti Angeli Dei,

Sancte Ioánes Baptista,

ora pro nobis

ora pro nobis

oráte pro nobis

ora pro nobis

Sancte Ioseph,	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule,	oráte pro nobis
Sancte Andréa,	ora pro nobis
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis
Sancte Stéphané,	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis
Sancte Laurénti,	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felicitas,	oráte pro nobis
Sancta Agnes,	ora pro nobis
Sancte Gregóri,	ora pro nobis
Sancte Augustíne,	ora pro nobis
Sancte Athanási,	ora pro nobis
Sancte Basíli,	ora pro nobis
Sancte Martíne,	ora pro nobis
Sancte Benedicte,	ora pro nobis
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis
Sancte Francísce (Xavier),	ora pro nobis
Sancte Ioánnes María (Vianney),	ora pro nobis
Sancta Catharína Senénsis,	ora pro nobis
Sancta Terésia (de Avila),	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis

Propítius esto,	libera nos, Dómine
Ab omni malo,	libera nos, Dómine
Ab omni peccáto,	libera nos, Dómine
A morte perpétua,	libera nos, Dómine
Per incarnationem tuam,	libera nos, Dómine
Per mortem et resurrectionem tuam,	libera nos, Dómine
Per effusionem Spíritus Sancti,	libera nos, Dómine

Peccatóres,	te rogámus, audi nos
Ut Ecclesiam tuam sanctam	
régere et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos

Ut domnum apostólicum et omnes	
ecclesiásticos órdenes in sancta	
religióne conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut cunctis pópulis pacem et veram	
concordiam donáre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut nosmetípsos in tuo sancto	
servítio confortáre et conserváre	
dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut hoc altáre consecráre	
dignéris,	te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi,	te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.	
Christe, audi nos.	
Christe, exáudi nos.	
Christe, exáudi nos.	

46. Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit:

Supplicationes nostras, quæsumus, Dómine,
intercessióne beátæ Mariæ Vírginis
et ómnium Sanctórum, propitiátus admítte,
ut hoc altáre locus fiat,
ubi máxima salutis perficiántur mystéria,
ac plebs tua múnera tibi offerat,
vota pandat,
preces effúndat,
omnésque religiónis ac pietátis réferat sensus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:
Amen.

Diaconus, si casus fert, admonet:
Leváte.

Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit.

Ubi vero reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit precem dedicationis, ut infra n. 48 indicatur.

Depositio reliquiarum

47. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel presbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 11):

Sub altari Dei sedes accepistis, Sancti Dei;
intercedite pro nobis ad Dóminum Iesum Christum

vel antiphona (cf. App. n. 12):

Córpóra Sanctórum in pace sepúlta sunt,
et vivent nómina eórum in ætérnum (T. P. Allelúia)
cum Psalmo 14, vel alius aptus cantus.

Psalmus 14

¹ Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *

Quis requiescet in monte sancto tuo?

(Repetitur antiphona)

² Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam; *

qui lóquitur veritátem in corde suo,

³ qui non egit dolum in lingua sua, †

nec fecit próximo suo malum, *

et oppróbrium non intulit próximo suo.

(Repetitur antiphona)

⁴ Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malignus, *

timéntes autem Dóminum glorificat.

Qui iurat in detriméntum suum et non mutat, †

⁵ qui pecúniám suam non dedit ad usúram, *

et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, *

non movébitur in ætérnum.

(Repetitur antiphona)

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.

Prex dedicationis

48. Quibus peractis, Episcopus stans sine mitra ad altare, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 29):

Te magnificámus, Dómine, te benedícimus,
quia ineffábili tuæ pietátis sacraménto statuísti
ut, figurárum cessánte varietáte,
mystérium altáris in Christo perficerétur.

Noe enim, alter humáni géneris sator,
undis placátis, tibi eréxit altáre et óbtulit sacrificium,
quod tu, Pater, in odórem suavitátis accepísti,
cum homínibus rénovans fœdus amóris.

Abraham, fidei nostræ pater,
verbo tuo toto corde adhærens, extrúxit altáre,
ut Isaac, dilécto filio, non parcéndo tibi placéret.

Sed et Móyses, antiquæ Legis mediátor,
altáre ædificávit quod, sángine agni respésum,
aram crucis mystice præsignáret.

Quæ ómnia Christus implévit pascháli mystério:
ille enim, sacérdos et víctima, árborem crucis conscéndens,
tibi, Pater, se ipsum oblatiónem mundam trádedit,
qua totíus mundi deleréntur peccáta
et novum æternúmque fœdus tecum pangerétur.

Súpplíces ergo te, Dómine, adprecámur:
hoc altáre in domo Ecclésiæ ædificátum
cælesti sanctificatióne perfúnde,
ut ara fiat Christi sacrificio in perpétuum dicáta
et mensa exsístat domínica,
ubi plebs tua divíno reficiátur convívio.

* Hic expolitus lapis sit nobis Christi signum,
e cuius percusso latere unda manavit et cruor,
quibus Ecclesiæ sunt condita sacramenta.

Sit mensa festiva ad quam læti accurrant Christi convivæ,
ut, curis et oneribus in te depositis,
ad nova itinera novum animi sumant vigorem.

Sit locus intimæ tecum communionis et pacis,
ut qui corpore et sanguine Filii tui vescantur,
eius Spiritu imbuti, in tuo crescant amore.

Sit fons unitatis Ecclesiæ et fratrum concordiæ
ad quem fideles tui una convenientes
spiritum hauriant mutuæ caritatis.

Sit centrum nostræ laudis et gratiarum actionis,
donec ad æterna tabernacula iubilantes perveniamus,
ubi cum Christo, summo Pontifice atque Altari vivo,
tibi perennis laudis sacrificium offeramus.

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia sæcula sæculorum.

Omnnes:

Amen.

Unctio altaris

49. Quibus peractis, Episcopus, deposita, si necesse est, planeta
et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diacono vel alio
ministro, qui vas sacri chrismatis fert.

Episcopus, stans ante altare, elata voce dicit:

Sanctificet Dominus sua virtute
hoc altare, quod nostro linimus ministerio,
ut Christi mysterium,

* Si vero altare dicandum non sit lapideum, sed alia materia con-
fectum, dicatur:

Hoc altare sit nobis Christi signum,

qui pro mundi vita se obtulit Patri,
visibili exprimat signo.

Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma
effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.

50. Dum fit unctio canitur, præterquam tempore paschali (cf. infra
n. 51), antiphona (cf. App. n. 30):

Unxit te Deus, Deus tuus,
oleo lætitiæ præ consortibus tuis

cum Psalmo 44, vel alius aptus cantus.

Psalmus 44

² Eructavit cor meum verbum bonum, †
dico ego opera mea regi. *
Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

(Repetitur antiphona)

³ Speciosus forma es præ filiis hominum, †
diffusa est gratia in labiis tuis, *
propterea benedixit te Deus in æternum.

(Repetitur antiphona)

⁴ Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; *
splendore tuo et ornatu tuo prospere procede;

⁵ curram ascende propter veritatem
et mansuetudinem et iustitiam. *

Et sagittabit pro te mirabiliter dextera tua:

⁶ sagittæ tuæ acutæ †
— populi sub te cadent — *
in corda inimicorum regis.

(Repetitur antiphona)

⁷ Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; *
sceptrum æquitatis sceptrum regni tui.

- ⁸ Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, †
propterea unxit te Deus, Deus tuus, *
oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

(Repetitur antiphona)

51. Tempore autem paschali canitur antiphona (cf. App. n. 31):

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes,
hic factus est in caput ánguli, allelúia

cum Psalmo 117, vel alius aptus cantus.

Psalmus 117

- ¹ Confitémini Dómino, quóniam bonus, *
quóniam in sæculum misericórdia eius.
¹⁶ Dèxtera Dómini fecit virtútem, †
dèxtera Dómini exaltávit me; *
dèxtera Dómini fecit virtútem.
¹⁷ Non móriar, sed vivam, *
et narrábo ópera Dómini.
¹⁸ Castígans castigávit me Dóminus, *
et mórti non trádídit me.

(Repetitur antiphona)

- ²¹ Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, *
et factus es mihi in salútem.
²² Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, *
hic factus est in caput ánguli;
²³ a Dómino factum est istud, *
et est mirábile in óculis nostris.
²⁴ Hæc est dies quam fecit Dóminus: *
exultémus et lætémur in ea.

(Repetitur antiphona)

- ²⁵ O Dómine, salvum me fac; *
o Dómine, da prosperitátem.
²⁶ Benedictus qui venit in nómine Dómini. *
Benedícimus vobis de domo Dómini.
²⁷ Deus Dóminus et illúxit nobis. *
Instrúite sollemnitátem in ramis condénsis,
usque ad córnua altáris.

(Repetitur antiphona)

52. Unctione altaris peracta, Episcopus, ad cathedram reversus, sedet, manus lavat et deponit gremiale.

Incensatio altaris

53. Post ritum unctionis, super altare ponitur foculus ad incensa vel aromata cumburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit incensum in foculum aut parvo cereo a ministro tradito acervum incensi succendit, dicens:

Dirigátur, Dómine, orátio nostra
sicut incensum in conspéctu tuo;
et sicut hæc domus suávi replétur odóre,
ita Ecclésia tua redóleat Christi fragrántiam.

Tunc Episcopus incensum in turibulum immittit et incensat altare, deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet; minister populum incensat. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 16 vel 17):

Stetit ángelus iuxta aram templi,
habens turibulum áureum in manu sua

vel antiphona (cf. App. n. 18):

Ascéndit fumus arómatum
in conspéctu Dómini de manu ángeli

cum Psalmo 137, vel alius aptus cantus.

Psalmus 137

- ¹ Confitebor tibi, Dómine, in toto corde meo, *
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi, *
² adorábo ad templum sanctum tuum;
et confitebor nómini tuo †
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam, *
quóniam magnificásti super omne nómen elóquium tuum.

(Repetitur antiphona)

- ³ In quacúmque die invocávero te, exáudi me; *
multiplicábis in ánima mea virtútem.
⁴ Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ, *
quia audiérunt elóquia oris tui.
⁵ Et cantábunt vias Dómini, *
quóniam magna est glória Dómini;
⁶ quóniam excélsus Dóminus, †
et húmílem réspicit, *
et supérbum a longe cognóscit.

(Repetitur antiphona)

Velatio et illuminatio altaris

54. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

55. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens:

Lumen Christi altáris mensam collústret
eóque refúlgeant dominicæ cenæ convívæ.

Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit.

56. Tunc festiva fit illuminatio: omnes lampades circùm altare in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 32):

Apud te, Dómine, est fons vitæ,
et in lúmíne tuo vidébitur lumen

vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.

PARS QUARTA

LITURGIA EUCHARISTICA

57. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 33):

Si offers munus tuum ad altáre,
et ibi recordátus fueris quia frater tuus
habet áliquíd advérsus te,
relínque ibi munus tuum ante altáre,
et vade prius reconciliári fratri tuo;
et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúia

vel antiphona (cf. App. n. 34):

Sanctificávit Móyses altáre Dómino,
ófferens super illud holocáusta,
et ímmolans víctimas;
fecit sacrificium vespertínium in odórem suavitátis
Dómino Deo, in conspéctu filiórurn Israel

vel alius aptus cantus.

58. Cum omnia parata sunt, Episcopus, ad altare accedit et, depósita mitra, illud osculatur. Missa proseguitur more solito; non incensatur tamen nec oblata nec altare.

59. Super oblata:

Descéndat, quæsumus, Dómine Deus noster,
Spíritus tuus Sanctus super hoc altáre,
qui et dona pópuli tui sanctificet,
et suméntium corda dignánte[m] emúndet.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

60. Dicitur Prex eucharistica I vel III cum hac præfatione (cf. App. n. 35), quæ ritui dedicationis altaris inhæret:

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus sacérdos veráque efféctus hóstia,
sacrifici[i], quod ipse in ara crucis tibi óbtulit,
memoriále nobis præcépít in perpétuum celebráre.
Ideo pópulus tuus hoc eréxit altáre,
quod tibi, Dómine, exsultántes dicámus.

Hic est vere locus excélsus,
ubi Christi sacrificium in mystério iúgiter offértur,
tibi perfécta tribúitur laus
nostráque exsérítur redémptio.

Hic domínica mensa parátur,
ad quam filii tui, Christi córpore refécti,
in unam sanctámque congregántur Ecclésiám.

Hic fidéles, Spíritum tuum háuriunt
de flumínibus a Christo, spiritáli petra, manántibus,
per quem et ipsi fiunt oblátio sancta, vivum altáre.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicénte[s]:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

61. Dum Episcopus Corpus Christi sumit, inchoatur cantus ad communionem. Canitur antiphona (cf. App. n. 36):

Passer invénit sibi domum,
et turtur nidum, ubi repónat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus:
beáti qui hábitant in domo tua,
in sæculum sæculi laudábunt te

vel antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ filii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)

cum Psalmo 127, vel alius aptus cantus.

Psalmus 127

¹ Beátus omnis qui timet Dóminum, *
qui ámbulat in viis eius.

(Repetitur antiphona)

² Labóres mánuum tuárum manducábis, *
beátus es, et bene tibi erit.

- ³ Uxor tua sicut vitis fructifera *
in latéribus domus tuæ;
filii tui sicut novéllæ olivárum *
in circúitu mensæ tuæ.

(Repetitur antiphona)

- ⁴ Ecce sic benedicétur homo, *
qui timet Dóminum.
⁵ Benedícat tibi Dóminus ex Sion, *
et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ;
⁶ et vídeas filios filiórum tuórum. *

Pax super Israel.

(Repetitur antiphona)

62. Post communionem:

Orémus.

Da nobis, Dómine, tuis semper altáribus inhærere,
ubi sacrificií sacraméntum celebrátur,
ut, fide et caritáte coniúcti,
dum Christo reficimur
in Christum transformémur.
Qui vivit et regnat.

Omnes:

Amen.

Benedictio et dimissio

63. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spírítu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit, dicens:

Deus, qui vos exórnat regáli sacerdotío,
tríbuat ut, munus vestrum sancte perficiéntes,
Christi sacrificium valeátis digne participáre.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Et qui ad unam mensam vos cóngregat
unóque refícit pane
ex vobis fáciat cor unum et ánimam unam.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Ut eos, quibus Christum annuntiátis,
ad Christum trahátis exémplo vestræ dilectiónis.

Omnes:

Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spírítus Sanctus.

Omnes:

Amen.

64. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

CAPUT V
ORDO BENEDICTIONIS ECCLESIAE

PRÆNOTANDA

1. Aedes sacras seu ecclesias, quæ modo stabili ad divina celebranda mysteria destinantur, expedit Deo dicari secundum Ordinem dedicationis ecclesiae, capitibus II et III descriptum, qui rituum ac symbolorum vi excellit.

Oratoria autem privata, sacella vel aedes sacras, quæ ob peculiaria adiuncta ad tempus tantum divino cultui destinantur, benedici convenit secundum Ordinem qui infra describitur.

2. Quod attinet ad eorum ordinationem liturgicam, ad Tituli electionem, ad præparationem pastorem fidelium, ea servantur, aptatis aptandis, quæ in Prænotandis ad Ordinem dedicationis ecclesiae dicta sunt in cap. II, nn. 4-5, 7, 20.

Ecclesia vel oratorium benedicitur ab Episcopo dioceseos vel a presbytero ab eo delegato.

3. Ecclesia vel oratorium benedici potest quolibet die, præterquam Triduo paschali; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant.

4. Diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, dicitur Missa diei; ceteris autem diebus dici potest vel Missa diei vel Missa Tituli ecclesiae sive oratorii.

5. Ad ritum benedictionis ecclesiae vel oratorii ea omnia parentur quæ pro Missæ celebratione requiruntur. Altare autem, etiamsi forte sit benedictum vel dicatum, nudum maneat usque ad initium liturgiæ eucharisticæ. Præterea apto presbyterii loco parentur:

- vas aquam continens et aspersionum necnon turibulum cum navicula incensi et cochleari;
- Pontificale Romanum;
- crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita vel crux, quæ in processione introitus defertur, prope altare collocetur;
- tobalea, cerei, candelabra et, pro opportunitate, flores.

6. Si vero, una cum benedictione ecclesiae, altare consecrandum sit, ea omnia parentur quæ in cap. IV, n. 27 describuntur, necnon n. 29, si reliquiæ Sanctorum sub altari deponendæ sint.

7. In Missa benedictionis ecclesiae, sacrae vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

- pro Episcopo: alba, stola, planeta, mitra, baculus pastoralis;
- (pro presbytero: vestes pro Missa celebranda);
- pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
- pro diaconis: albæ, stolæ, dalmaticæ;
- pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ORDO BENEDICTIONIS

PARS PRIMA

RITUS INITIALES

Ingressus in ecclesiam

8. Populo congregato, dum cantus ad introitum canitur, Episcopus et presbyteri concelēbrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiae ad presbyterium pergunt.

Cum processio ad presbyterium pervenerit, Episcopus, omissō osculo altaris eiusque incensatione, statim cathedram petit; ceteri locis sibi assignatis se disponunt.

9. Cantu expleto, Episcopus, baculo et mitra depositis, populum salutatur, dicens:

Grátia et pax
sit ómnibus vobis
in Ecclēsia sancta Dei

vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet:

Et cum spírítu tuo

vel alia apta verba.

Benedictio aquæ et aspersio

10. Deinde, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitiæ et in memoriam baptismi atque ad parietes novæ ecclesiae vel oratorii abluendos. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, huc lætántes convénimus
ad novam ecclēsiám Deo offeréndam;
ípsu m ígitur súpplices exorémus
ut sua grátia nobis adésse dignétur

suáque virtúte hanc benedícere creatúram aquæ,
qua nos aspergémur
in pænitiæ signum ac baptismi memóriam
et novæ ecclēsiæ abluéntur parietes.
Sed hoc in primis ánimo spectémus:
nos ipsos, fide et caritate in unum congregátos,
vivam exsistere Ecclēsiám, in mundo collocátam,
signum ac testimónium amóris,
quo Deus univérsos díligit hómines.

11. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur:

Deus, per quem omnis creatúra ad vitæ prodit lumen,
tanta hómines proséqueris dilectióne
ut eos non solum patérna alas cura,
sed caritátis rore a peccátis cleménter emúndes
et ad Christum Caput constánter redúcas:
misericórdi enim consílio statuísti
ut qui in sacram descendíssent undam peccatóres,
Christo commórtui, insóntes resúrgerent
eiúsque membra fierent
atque æténi præmii coherédes.
Hanc ergo creatúram aquæ tua benedictióne ✠ sanctífica,
ut, in nos et huius ecclēsiæ parietes aspérta,
signum exsístat illíus salutáris lavácri,
quo, in Christo ablúti, templum Spírítus tui sumus effécti;
nos autem cum ómnibus frátribus,
qui in hac ecclēsia divína celebrábunt mystéria,
ad cæléstem Ierúsalem perveníre concédas.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes:

Amen.

12. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum et parietes aspergit, per aulam ecclesiae transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare, nisi forte iam benedictum vel dicatum sit (cf. supra n. 5). Interea canitur antiphona (cf. App. n. 8):

Vidi aquam egredientem de templo,
a látere dextro, allelúia;
et omnes, ad quos pervénit aqua ista,
salvi facti sunt, et dicent:
Allelúia, allelúia

aut, tempore Quadragesimae, antiphona (cf. App. n. 9):

Dum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris,
et effúdam super vos aquam mundam,
et mundabímmini ab ómnibus inquinaméntis vestris;
et dabo vobis spíritum novum

vel alius aptus cantus.

13. Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit:

Deus, misericordiárum Pater,
adsit in hac oratiónis domo
et Spíritus Sancti grátia
templum purificet habitatiónis suae,
quod nos sumus.

Omnes:

Amen.

Hymnus et collecta

14. Deinde präterquam in Missa dominicæ vel feriæ temporis Adventus et Quadragesimæ, canitur hymnus Glória in excélsis Deo.

15. Quo hymno finito, Episcopus, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit, präterquam diebus inscriptis in Tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, hanc orationem:

Mitte, quæsumus, Dómine, benedictiónem tuam
super hanc ecclesiám, quam nobis ædificáre concessísti,
et præsta, ut cuncti fidéles huc conventúri,
verbo tuo sanctisque inhæréntes mystériis,
Iesum Christum præsentem séntiant,
qui ómnibus in nómine suo congregátis
promísit seípsum in médio affutúrum.
Qui tecum vivit et regnat.

Omnes:

Amen.

PARS SECUNDA

LITURGIA VERBI

16. Lectiones sumuntur, iuxta rubricas (cf. supra n. 4), vel e liturgia diei vel e textibus qui in Lectionario (III, 233-257) pro ritu dedicationis ecclesiae proponuntur.

17. Ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum.

18. Post Evangelium Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.

19. Expleta homilia dicitur Symbolum, et fit oratio universalis more consueto.

PARS TERTIA

BENEDICTIO ALTARIS

20. Deinde Episcopus ad altare benedicendum accedit. Interea canitur antiphona (cf. App. n. 24):

Sicut novellæ olivárum
Ecclesiæ filii sint in circúitu mensæ Dómini (T. P. Allelúia)
vel alius aptus cantus.

21. Cantu expleto, Episcopus, stans sine mitra, fideles alloquitur his vel similibus verbis:

Commúnitas nostra, fratres dilectíssimi,
exsúltans convénit ad hoc altáre benedicéndum.
Huic ritui inténtis adsímus ánimis,
Deúmque exorémus
ut oblatiónem Ecclesiæ super hoc altáre proponéndam
benígnus respiciat
populúmque suum perficiat sibi munus ætérnum.

Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, elata voce dicit (cf. App. n. 37):

Benedíctus es, Deus,
qui sacrificium Christi tui, in ara crucis oblátum,
ad humáni géneris redemptiónem accepisti,
et ad eius celebrándum memoriále
plebem tuam ad mensam dominicam
patérna cóngregas caritaté.
Réspice ergo, Dómine, hoc altáre,
quod ad tua celebránda mystéria parávimus:
sit centrum nostræ laudis et gratiárum actiónis;
sit ara ubi Christi sacrificium in mystério offerámus;
sit mensa in qua panem vitæ frangámus
et cálicem hauriámus unitátis;
sit fons ex qua nobis perénnis éffluat unda salutis,

ut, ad Christum accedéntes, lápidem vivum,
in eo crescámus in templum sanctum,
et super altáre cordis
sacrificium vitæ sancte peractæ
gratum et acceptábile offerámus
in laudem glóriæ tuæ.

Omnes:

Benedíctus Deus in sæcula.

Tunc Episcopus immittit incensum in aliqua turibula et incensat altare. Deinde, accepta mitra, revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem per ecclesiam transeuntes populum et aulam ecclesiæ incensant.

22. Si forte altare est dedicandum, dicto Symbolo et ommissa oratione universali, ea servantur quæ in cap. IV, nn. 43-56, dicta sunt.

Si autem altare non est benedicendum aut consecrandum (ex. gr. quia in novam ecclesiam translatum est altare iam benedictum vel dicatum), post orationem universalem Missa proseguitur ut infra n. 23 indicatur.

PARS QUARTA

LITURGIA EUCHARISTICA

23. Ministri altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

24. Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona (cf. App. n. 33):

Si offers munus tuum ad altáre,
et ibi recordátus fúeris quia frater tuus
habet áliquíd advérsus te,

relínque ibi munus tuum ante altáre
et vade prius reconciliári fratri tuo;
et tunc véniens ófferes munus tuum, allehúia

vel antiphona (cf. App. n. 34):

Sanctificávit Móyses altáre Dómino,
ófferens super illud holocáusta,
et ímmolans víctimas;
fecit sacrificium vespertinum in odórem suavitátis
Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israel

vel alius aptus cantus.

25. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito, non incensantur tamen nec oblata nec altare. Si vero altare in hac celebratione benedicendum vel dicandum non fuerat, incensatio fit more consueto.

26. Si sacellum Ss.mi Sacramenti est inaugurandum, expleta fidelium communione, omnia fiunt ut in cap. II, nn. 79-82, descripta sunt.

Benedictio et dimissio

27. Episcopus, accepta mitra, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spírítu tuo.

Deinde diaconus, pro opportunitate, populum ad benedictionem accipiendam invitat his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum Episcopus, manibus super populum extensis, eum benedicit:

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius domus benedictiónem adunávit,
ipse vos cælésti benedictiónem fáciat abundáre.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Concedátque vos fieri templum suum
et habitáculum Spírítus Sancti,
qui omnes filios dispérsos voluit in Filio suo congregári.

Omnes:

Amen.

Episcopus:

Quátenus felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et æternæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.

Omnes:

Amen.

Episcopus accipit baculum et prosequitur:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spírítus Sanctus.


Omnes:

Amen.

28. Denique diaconus populum dimittit more consueto.

1. Antiphona super Psalmum 83 (pag. 10)

VIIIc



Concupí- scit * á- nima me- a in á- tri- a Dómi- ni. T. P. Dó-
mi- ni, alle- lú- ia. E u o u a e.

2. Acclamatio (pag. 12)

VII



Pax æ- tér- na ab Æ- té- rno * hu- ic có- tu- i. Pax perén- nis, Verbum
Patris, sit pax De- i pó- pulo. Pa- cem pi- us Conso- lá- tor cunctis præ-
stet génti- bus.


3. Antiphona super Psalmum 47 (pag. 15)

I. g



Lá- pi- des pre- ti- ó- si * omnes mu- ri tu- i, et turres Ierú- sa- lem
gemmis ædi- fi- ca- búntur. T. P. Alle- lú- ia. E u o u a e.

4. Antiphona in impositione primarii lapidis (pag. 18)




Bene fundá-ta est * domus Dómi-ni supra firmam petram.




T.P. Alle-lú-ia. E u o u a e.

5. Antiphona super Psalmum 121 (pag. 32, 36, 37, 62)




In domum Dómi-ni * læ-tántes í-bimus. E u o u a e.

6. Antiphona super Psalmum 23 (pag. 33, 36)



E-levá-mini, * portæ æ-terná-les, et intro-í-bit Rex gló-ri-æ.



E u o u a e.


7. Antiphona ad introitum super Psalmum 121 (pag. 37, 62)



De-us * in lo-co sancto su-o: De-us, qui inha-bi-tá-



re fa-cit un-á-nimes in do-mo: ipse dabit vir-tú-tem




et forti-tú-di-nem ple-bi su-æ.

8. Antiphona ad aspersionem (pag. 39, 65, 95, 116)




Vi-di, a-quam * egre-di-én-tem de tem-plo, a lá-



te-re dex-tro, alle-lú-ia; et omnes, ad quos pervé-nit




a-quam i-sta, sal-vi fac-ti sunt et di-cent: Alle-



lú-ia, al-le-lú-ia.

9. Alia Antiphona ad aspersionem tempore Quadragesimæ (pag. 39, 65, 95, 116)




Dum sancti-fi-cá-tus * fú-e-ro in vo-bis, congre-gábo



vos de uni-vér-sis ter-ris; et effún-dam super vos a-




quam mun-dam, et mundabí-mi-ni ab óm-ni-bus in-



quinquaméntis ve-stris; et da-bo vo-bis spí-ri-tum no-vum.


10. Cantus Litaniarum Sanctorum (pag. 42, 67, 97)

Supplicatio ad Deum:




Ký-ri-e, e-lé-i-son. ij. Christe, e-lé-i-son. ij. Ký-ri-e, e-lé-i-son. ij.

Invocatio Sanctorum:




Sancta Ma-ri-a Ma-ter De-i. R. Ora pro nobis. R. Orá-te pro nobis.

Invocatio ad Christum:



Propi-ti-us e-sto, R. Li-be-ra nos, Dó-mi-ne.

Supplicatio pro variis necessitatibus:



Ut nobis par-cas, R. Te rogá-mus, audi nos.

Conclusio:




Christe, audi nos. ij. Christe, exáudi nos. ij.

11. Antiphona ad depositionem reliquiarum, super Psalmum 14 (pag. 44, 70, 100)




Sub altá-ri De-i * sedes ac-ce-pi-stis, Sancti De-i, intercéd-i-



te pro no-bis ad Dó-minum Ie-sum Christum. E u o u a e.


12. Antiphona ad depositionem reliquiarum, super Psalmum 14 (pag. 44, 70, 100)



Córpo-ra Sanctó-rum * in pa-ce sepúl-ta sunt, et vi-vent nó-mi-na-



e-ó-rum † in æ-térnum. T.P. † in æ-térnum, alle-lú-ia.



E u o u a e.


13. Prex dedicationis ecclesiae (pag. 45)




De-us, Ecclé-si-æ tu-æ sancti-fi-cá-tor et rector, nomen tu-um



nos decet festi-vo ce-lebrá-re præcó-ni-o, qui-a hód-i-e fi-dé-li-um




plebs hanc o-ra-ti-ónis domum, ubi te pi-e vene-rá-tur, verbo e-ru-




dí-tur, á-li-tur sacraméntis, sollémni ritu cu-pit in perpé-tu-um tibi




dí-cá-re. Hæc ædes mysté-ri-um adú-brat Ecclé-si-æ, quam Christus



su-o sancti-fi-cá-vit cru-ó-re ut Sponsam si-bi exhibé-ret glo-ri-



ó-sam, Virginem fi-de-i integri-tá-te conspi-cu-am, Matrem Spi-ri-tus
 virtú-te fecúndam. Ecclé-si-a sancta, e-lécta vi-ne-a Dómi-ni, cu-ius
 palmi-tibus mundus omnis implé-tur, quæ propá-gines su-as, ligno ba-
 iu-lánte, suspénsas é-ri-git ad regna cæ-lórum. Ecclé-si-a fe-lix, ta-
 bernácu-lum De-i cum homí-nibus, templum sanctum, quod lapí-dibus
 vi-vis exstrú-i-tur, Aposto-ló-rum fundaméntis consistens, Christo
 Iesu summo lá-pide angu-lá-ri. Ecclé-si-a sublímis, Cí-vi-tas
 iugo montis e-récta, perspi-cu-a cunctis, et ómni-bus clara, ubi A-
 gni lucérna fulget pe-rénis et gratum ré-sonat cánti-cum be-a-tórum.
 Súpplíc-es ergo te, Dómine, ad-pre-cámur: digná-re hanc ecclé-si-am et



hoc altá-re cæ-lésti sancti-fi-ca-ti-óne perfúnde-re, ut locus sanctus
 semper exsístat et mensa fi-at in perpé-tuum Christi sacri-fi-ci-o
 pa-rá-ta. Hic unda dí-vinæ grá-ti-æ hóminum óbru-at de-lícta, ut fi-
 li-i tu-i, Pater, peccá-to mórtu-i vi-tæ renascántur supérnæ. Hic
 fidé-les tu-i, altá-ris mensam circumstántes, memori-á-le Páschatis
 cé-lebrent et verbi Christi e-iúsque córpo-ris re-fi-ci-ántur convi-
 vi-o. Hic laudis oblá-ti-o iucúnda resúl-tet, Ange-ló-rum concéntibus
 vox hóminum so-ci-á-ta, ac pro mundi salú-te iugis ad te ascén-
 dat o-rá-ti-o. Hic páuperes mi-se-ri-córdi-am invé-ni-ant, opprés-si
 ve-ram consequántur li-bertá-tem cunctique hómines fi-li-órum tu-ó-

rum indu-ant digni-tatem, donec ad illam, quae sursum est, Ierusalem, exultantes perveni-ant. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

14. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 83 (pag. 48, 73)

f

Ecce tabernaculum Dei * cum hominibus, et habitabit cum eis; et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit * eorum Deus. T.P. † eorum Deus, alleluia.

E u o u a e.

15. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 83 (pag. 48, 73)

ff

Templum Domini * sanctum est, Dei structura est, Dei æ

dificatio est. E u o u a e.

16. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)


IV A

Stetit angelus * iuxta aram templi, habens turibulum aureum in manu sua. E u o u a e.

17. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)


I

Stetit * angelus iuxta aram templi, habens turibulum aureum in manu sua; et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus a rotamatum in conspectu Dei, alle




lú-ia.

18. Antiphona ad incensationem, super Psalmum 137 (pag. 50, 75, 105)



Ascéndit fumus * a-róma-tum in conspéctu Dómi-ni de manu




ánge-li. E u o u a e.


19. Antiphona ad illuminationem ecclesiae, super Canticum Tobiae (pag. 51, 76)



Venit lumen tu-um, * Ie-rú-sa-lem, et gló-ri-a Dó-




mi-ni super te or-ta est, et ambu-lá-bunt gentes in lú-




mi-ne tu-o, al-le-lú-ia. E u o u a e.

20. Antiphona ad illuminationem ecclesiae, super Canticum Tobiae (pag. 51, 77)



Ie-rú-sa-lem,* cí-vi-tas De-i, luce spléndi-da fulgé-bis, et omnes




fi-nes ter-ræ ado-rá-bunt te. E u o u a e.

21. Antiphona ad offertorium (pag. 52, 77)



Dó-mi-ne De-us, * in simpli-ci-tá-te cordis me-i




Iæ-tus ób-tu-li u-ni-vér-sa; et pó-pu-lum tu-um,



qui repér-tus est, vi-di cum ingén-ti gáu-di-o; De-us Is-



ra-el, custó-di hanc vo-lun-tá-tem, Dó-mi-ne




De-us. T.P. Alle-lú-ia.


22. Præfatio dedicationis ecclesiae (pag. 53)




Dóminus vo-bíscum R̄. Et cum spí-ri-tu tu-o. V̄. Sursum corda.




R̄. Há-be-mus ad Dó-mi-num. V̄. Grá-ti-as a-gá-mus Dó-mi-no De-o



nostro R̄. Dignum et iustum est.



Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos tibi, sancte



Pa-ter, semper et u-bique grá-ti-as á-ge-re. Qui templum gló-ri-æ
 tu-æ u-nivérsum mundum fe-cisti ut nomen tu-um u-bique clari-fi-
 ca-ré-tur, sed et lo-ca di-vi-nis apta mysté-ri-is non rénu-is ti-bi sa-
 crá-ri: hanc ergo o-ra-ti-ónis dómum, humáno exstrúctam la-bó-re,
 ma-iestá-ti tu-æ exsultánte di-cámus. Hic ve-ri Templi adumbrá-tur
 mysté-ri-um et cælé-stis Ierú-sa-lem præno-tá-tur i-má-go: corpus e-nim
 Fi-li-i tu-i, ex alma Vírgine na-tum, templum effe-ci-sti ti-bi sa-
 crá-tum, in quo inha-bi-tá-ret ple-ni-túdo di-vi-ni-tá-tis. Ecclé-si-am au-
 tem sanctam consti-tu-ísti ci-vi-tá-tem, super fundaméntum Aposto-
 ló-rum ædi-fi-cá-tam, summo angu-lá-ri lá-pide ipso Christo Ie-



su; sed e-léctis constru-éndam la-pí-dibus, Spí-ri-tu vi-vi-ficá-tis, co-
 agmentá-tis ca-ri-tá-te, u-bi tu per infi-ní-ta sæ-cu-la ómni-a óm-
 nibus e-ris et lumen Christi fulgé-bit pe-rénne. Per quem nos, Dó-
 mine, cum Ange-lis et Sanctis u-ni-vérsis ti-bi confi-témur, in exsul-
 ta-ti-ó-ne di-cénte:

23. Antiphona ad communionem, super Psalmum 127 (pag. 55, 79)



V Domus me- a, * do-mus o-ra-ti-ónis vo-cá-bi-tur, di-cit
 Dómi-nus: in e-a om-nis, qui pe-tit, ác-ci-pit; et qui quæ-
 rit, inve-nit, et pulsán-ti ape-ri-é-tur. T.P. Alle-
 lú-ia.

24. Antiphona ad communionem, super Psalmum 127 (pag. 55, 79, 109, 118, 123)

IV E

Sic- ut novellæ o-li- varum, * Ecclé- si- æ fi- li- i sint in
circú- i- tu mensæ † Dómi- ni. T. P. † Dómi- ni, alle- lú- ia.
E u o u a e.

25. Antiphona ad inaugurandum sacellum Ss.mi Sacramenti, super Psalmum 147 (pag. 56)

I g 3

Lauda, * Ierú- sa- lem, Dóminum. E u o u a e.

26. Præfatio dedicationis ecclesiae in qua iam de more sacra celebrantur (pag. 78)

Dóminus vo- bîscum. R. Et cum spi- ri- tu tu- o. V. Sursum corda.
R. Habé- mus ad Dóminum. V. Grá- ti- as a- gá- mus Dómino De- o
nostro. R. Dignum et iustum est.
Ve- re dignum et iustum est, æquum et sa- lu- tá- re, nos ti- bi semper

et ubique grá- ti- as áge- re: Dómine, sancte Pa- ter, omni- potens æ-
térne De- us: per Chri- stum Dó- minum nostrum. Qui a in domo vi-
sí- bi- li quam nobis exstrú- e- re conces- sisti, u- bi famí- li- æ in hoc
loco ad te pe- regi- nánti favé- re non dé- si- nis, mysté- ri- um tu- æ no-
bîscum communi- ó- nis mi- re fi- gú- ras et ope- rá- ris: hic e- nim ti- bi
templum illud quod nos sumus æ- dí- fi- cas, et Ecclé- si- am per orbem
diffú- sam in domí- ni- ci compá- gem córpo- ris fa- cis au- gé- ri, in pa- cis
vi- si- óne compléndam, cæ- lésti ci- vi- tá- te Ie- rú- sa- lem. Et id- e- o,
cum mul- tí- túdi- ne órdinum be- a- tó- rum, in templo gló- ri- æ tu- æ,
te collaudámus, be- ne- dí- cimus et magni- fi- cámus, di- céntes:

27. Antiphona ad introitum in dedicatione altaris, super Psalmum 42 (pag. 92)

IV

Pro-téc-tor no-ster, * á-spi-ce, De-us, et réspi-ce in
fá-ci-em Chri-sti tu-i: qui-a mé-li-or est di-es
u-na in átri-is tu-is su-per mil-li-a.
T.P. Alle-lú-ia, alle-lú-ia.

28. Antiphona ad introitum in dedicatione altaris, super Psalmum 42 (pag. 92)


IV A

Intro-í-bo * ad altá-re De-i, ad De-um qui læ-tí-fi-cat iu-
ventú-tem me-am. E u o u a e.

29. Prex dedicationis altaris (pag. 101)


Te magni-fi-cá-mus, Dó-mine, te be-nedí-cimus, qui-a ineffá-bi-
li tu-æ pietá-tis sacramé-to sta-tu-í-sti ut, fi-gurá-rum cessánte va-

ri-e-tá-te, mysté-ri-um altá-ris in Christo perfi-ce-ré-tur. No-e e-
nim, alter humáni gé-ne-ris sator, undis placá-tis, ti-bi e-ré-xit altá-
re et óbtu-lit sacri-fi-ci-um, quod tu, Pa-ter, in odó-rem su-a-vi-tá-
tis accepí-sti, ré-no-vans cum homi-nibus fœdus amó-ris. Abraham,
fi-de-i nostræ pa-ter, verbo tu-o toto corde adhærens, exstrúxit al-
tá-re, ut Isaac, di-lécto fi-li-o, non parcéndo ti-bi placé-ret. Sed et
Mó-y-ses, antiquæ Le-gis medi-á-tor, altá-re æ-di-fi-cá-vit quod, sán-
guine agni respérsus, a-ram crucis mýsti-ce præ-signá-ret. Quæ ómni-a
Christus implévit paschá-li mysté-ri-o: ille e-nim, sacerdos et víctima,
árborem cru-cis conscéndens, ti-bi, Pa-ter, se ipsum obla-ti-ónem




mundam trá-di-dit, qua to-ti- us mundi de-le-réntur peccá-ta et novum
 æ-ternúmque fœdus tecum pange-ré-tur. Súpli-ces ergo te, Dómi-ne,
 adpre-cámur: hoc altá-re in domo Ecclé-si-æ æ-di-fi-cá-tum cæ-
 lésti sancti-fi-ca-ti-óne perfúnde, ut a-ra fi-at Christi sacri-
 fi-ci-o in perpé-tuum di-cá-ta et mensa exsístat domí-ni-ca,
 u-bi plebs tu-a di-víno re-fi-ci-á-tur convi-vi-o. Hic expo-lí-
 Hoc altáre
 tus lapis* sit nobis Christi signum, e cuius percússio lá-te-re un-
 da maná-vit et cru-or, quibus Ecclé-si-æ sunt cóndi-ta sacramé-ta.
 Sit mensa festí-va ad quam læ-ti accúrrant Christi convívæ, ut, cu-
 ris et oné-ribus in te depó-si-tis, ad nova i-tí-ne-ra novum á-ni-

* Si vero altare dedicandum non sit lapideum, sed ex alia materia confectum, dicatur:
 Hoc altáre sit nobis Christi signum.




mi sumant vigó-rem. Sit locus íntimæ te-cum communi-ó-nis et pa-cis,
 ut qui córpo-re et ságuine Fi-li-i tu-i vescéntur, e-ius Spí-ri-tu
 imbú-ti, in tu-o crescant amó-re. Sit fons u-ni-tá-tis Ecclé-si-æ et
 fratrum concórdi-æ ad quem fidé-les tu-i una conve-ni-éntes spí-ri-
 tum háuri-ant mú-tu-æ ca-ri-tá-tis. Sit centrum nostræ laudis et gra-
 ti-árum acti-ónis, donec ad æ-térna ta-berná-cu-la iubi-lántes perve-
 ni-ámus, u-bi cum Christo, summo Pontí-fi-ce atqúe Altá-ri vi-vo, ti-
 bi pe-rénis laudis sacri-fici-um offe-rámus. Qui tecum vivit et regnat
 in u-ni-tá-te Spí-ri-tus Sancti, De-us, per ómni-a sá-cu-la sá-cu-
 lórum. R. Amen.

30. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 44 (pag. 103)

VII c 

Unxit te De-us, * De-us tu-us, ó-le-o læ-ti-ti-æ præ consór-
ti-bus tu-is. E u o u a e.




31. Antiphona ad unctionem altaris, super Psalmum 117 (pag. 104)

VII c 


Lá-pi-dem * quem reprobavé-runt ædi-fi-cántes, hic factus est in
caput ángu-li, alle-lú-ia. E u o u a e.




32. Antiphona ad illuminationem altaris (pag. 107)

IV A 


Apud te, Dómine, * est fons vitæ, et in lúmine tu-o vidé-
bimus lumen. E u o u a e.



33. Antiphona ad offertorium I in dedicatione altaris (pag. 107, 119, 124)

I 

Si offers * munus tu-um ante altá-re, et re-córdá-tus fú-
e-ris qui-a fra-ter tu-us habet á-liquid advérsus te, re-línque i-







bi munus tu-um ante altá-re, et vade pri-us reconci-li-á-ri
fratri tu-o; et tunc vé-ni-ens offe-res munus tu-um, alle-lú-ia.





34. Antiphona ad offertorium II in dedicatione altaris (pag. 107, 120)


V 

Sancti-fi-cá-vit * Mó-y-ses altá-re Dómi-no,
offe-rens su-per il-lud ho-lo-cáu-sta, et
ím-mo-lans víc-ti-mas: fe-cit sa-cri-fi-ci-um vespér-
tí-num in o-dó-rem su-a-vi-tá-tis Dó-mi-no De-o, in
conspéc-tu fi-li-órum Isra-el.











35. Præfatio dedicationis altaris (pag. 108)



Dóminus vo-bíscum R̄. Et cum spí-ri-tu tu-o. †. Sursum corda.



R. Habé-mus ad Dómi-num. V. Grá-ti-as a-gá-mus Dómino De-o




nostro. R. Dignum et iustum est.



Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper



et u-bique grá-ti-as á-ge-re: Dómine, sancte Pa-ter, omni-po-tens æ-tér-



ne De us: per Christum Dóminum nostrum. Qui ve-rus sacér-dos ve-rá-




que efféctus hósti-a, sacri-fi-ci-i, quod ipse in a-ra cru-cis ti-bi ób-



tu-lit, memo-ri-á-le nobis præcê-pit in perpé-tu-um ce-lebrá-re. I-




de-o pópu-lus tu-us hoc e-ré-xit al-tá-re, quod ti-bi, Dómi-ne, exsul-




tántes di-cá-mus. Hic est vere locus excélsus, ubi Christi sacri-fi-ci-




um in mysté-ri-o iú-gi-ter offértur, laus ti-bi perfécta tribú-i-tur




et nostra exsé-ri-tur redémpti-o. Hic domí-ni-ca mensa pa-rá-tur,



ad quam fi-li-i tu-i, Chris-ti córpore re-fécti, in u-nam et sanctam



congre-gántur Ecclé-si-am. Hic fidé-les Spi-ri-tum tu-um háuri-unt de




flumí-ni-bus a Christo, spi-ri-tá-li petra, ma-nántibus, per quem et ipsi



fi-unt oblá-ti-o sancta, vi-vum altá-re. Unde et nos, Dómi-ne, cum




Ange-lis et Sanctis u-ni-vér-sis ti-bi confité-mur, in exsulta-ti-ó-ne




di-cé-ntes:

36. Antiphona ad communionem in dedicatione altaris, super Psalmum 127 (pag. 109)



Passer * invé-nit sibi domum, et turtur ni-dum, ubi repó-nat



pul-los su-os: altá-ri-a tu-a, Dómine virtú-tum, rex

me- us et De- us me- us: be- á-ti qui há-bi-tant in domo
tu- a, in sã- cu-lum sã- cu-li lau- dábunt te.

37. Prex benedictionis altaris (pag. 118, 123)

Be-ne-díctus es, De-us, qui sacri-fi- ci- um Christi tu- i, in a- ra
cru- cis oblá- tum, ad humáni gé- ne- ris redempti- ónem acce- písti, et ad
e- ius celebrándum memo- ri- á- le plebem tu- am ad mensam domí- ni-
cam pa- térna cóngre- gas ca- ri- tá- te. Réspi- ce ergo, Dómi- ne, hoc al-
tá- re, quod ad tu- a ce- lebránda mysté- ri- a pará- vimus: sit centrum no-
stræ laudis et gra- ti- á- rum acti- ónis; sit a- ra ubi Christi sacri- fi-
ci- um in mysté- ri- o offe- rámus; sit mensa in qua panem vi- tæ fran-
gámus et cá- li- cem hauri- ámus u- ni- tá- tis; sit fons ex qua nobis perén-

nis éfflu- at unda sa- lú- tis, ut, ad Christum accedentes, lápi- dem vivum,
in e- o crescámus in templum sanctum; et sic super altá- re cordis sa-
cri- fi- ci- um vi- tæ sancte per- áctæ gra- tum et acceptá- bi- le offe- rámus
in laudem gló- ri- æ tu- æ.

Omnes:

Be- nedíctus De- us in sã- cu- la.

38. Antiphona in benedictione calicis et patenae (pag. 127)

II D
Cá- li- cem * sa- lu- tá- ris accí- pi- am, et nomen Dó- mi- ni invo-
cábo. E u o u a e.

39. Antiphona in benedictione calicis et patenae, super Psalmum 115 (pag. 127)

III a 2
Cá- li- cem * sa- lu- tá- ris accí- pi- am, et sacri- fi- cábo hó- sti-
am † laudis. T.P. † laudis, alle- lú- ia. E u o u a e.